



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Centuriatorum Magdeburgensium iudicium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

mystici Ecclesie ædificij basis sit & fundamentum, sic vt vno conuulso aut mutato articulo, reliqui omnes eadem fortunam subeant, vt Illustriss. Cardinalis Bellarminus in Præfatione primi Tomi erudite ostendit.

V. Audi quid hanc in sententiam Gallus (a) quidam elegantis ingenij & doctrinæ homo dixerit. Quando noua Lutheri dogmata, aut, magni fieri passim ceperunt, vidimus vestrem nostram Fidem disputationibus & argumentorum collationibus valde concussam: & facile apparebat huius morbi principium mox in execrabilem Atheismum declinaturum. Sunt enim homines eius natura, vt quum res suis ipsorum ponderibus & ratione diiudicare nequeant, specie earum & communi quodam errore facile abripiantur. Quamprimum certe quæ inducitur, vt opiniones seu dogmata, qua in magna prius habuit veneratione, qualia sunt qua ad salutem spectant, contemnere quodammodo ac discutere ausit, adeoque Fidei sua articulos in dubium & ad trutinam reuocet; idem statim de cæteris quoque Religionis capitibus nec plus auctoritatis nec fundamenti habentibus, dubitare incipiet; omnesque persuasiones vel à legum auctoritate, vel antiqui moris reuerentia animo impressas, tamquam tyrannicum iugum abiciet, cum proposito nihil posthac se recepturum aut crediturum, nisi quod prius ipse ad sui iudicij normam exegerit, eis, conueniens iudicabit. Sic ille veritatem turbans, medijs mendacij turbis sese immiscet, Nec minus doctæ atque appositè eadem de re Clemens Alexandrinus inquit, Veritatem rem arduam, ac difficilem esse eius inuestigationem, vnde facile hæreses nascantur, præsertim in hominibus ambitiosis, & sui ipsorum amore agris, qui sibi aliisque persuadent se intelligere illud quod tamen numquam didicerunt; nec scientiam, sed falsam scientiam habent persuasionem.

VI. Hoc loco facere non possum quin in hostium castra paullulum concedam, non vt transfuga, sed vt explorator, & vnus Centurionum Magdeburgensium notabile dictum, tamquam rosam è spinis, decerpam. At ille, malas artes & fraudes qua contra veram religionem adhibentur, similes esse cuneo: cuius acies tenuis admodum est, lignoque infixus, haud ita magnam fissuram facturus videtur: at vbi in rimam adigitur, paullatim hiatus ampliore facit, donec tandem vel maximam trabem omnino diffindat. Primam cunei huius Lutherani fissuram ait Cardinalis Hosius fuisse de Indulgentijs disputationem. Secunda latior multo fuit & profundior, Communicatio scilicet laicorum sub vtraque specie, & clericorum matrimonia. At Augustana Confessio que

que postea sequuta sunt, tantam dederunt fissuram achiatum, vt nisi Deus propitius nos respexisset, numquam tam grandis hæc fissura rursus coalescere, & ad pristinam integritatem redire posse videatur. Sed quemadmodum Milo athleta, quum nimia virium fiducia arborem in media parte hiantem diducere vellet, brachijs, redeunte ad se arbore, hinc inde constrictis, & deficiente conatu retentus, lupis esca fuit: sic quamuis hæreticus hic gladiator, alijque non minus validam quam antiquam Ecclesie arborem discindere annexi sunt, numquam tamen totam eam conuellent; sed spes est potius eam pristina vnitaterursus coalituram, cum perpetua ignominia & ruina eorum qui diducere eam ac diuidere sunt conati.

CAROLVS V. IMPERATOR
in Germaniam proficiscitur: videt, audit
& damnat Lutherum.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

- I. Imperator ad compescendam Lutheri insaniam in Germaniam proficiscitur.
- II. Ad eum Lutherus se confert.
- III. Quid præsertim Imperatore actum.
- IV. Imperator Lutherum damnat.
- V. Lutheranos inuadit Spiritus rebellionis.
- VI. Lutheri cum Treuirensi Archiepiscopo colloquium.

QUATUOR iam circiter labebantur anni, ex quo Lutherus Ecclesiam turbare cæperat, cum iam Nobilitatem Germanicam in arma conuocauerat, edito scripto de grauaminibus Nobilitatis plane sedioso ac furioso, Item libro de libertate Christiana ad 6. Septemb. cum ei suppetias tulit etiam scribendo Vlricus Hürtenius Nob. Franco, qui acerbum scriptum contra Romanitas euulgauit, vt contra Tyrannos pro Luthero, & mox Rithmum (Tit. *Ulag vnd Wermanung*) seditiosissimam & furiosissimam. Coronabatur sub id tempus nempe 10. Nou. Carolus V. Aquisgranis, & aderat Imperatori Fridericus Elector Saxoniz, cum damnationis Romanæ sententia Wittebergæ aduenit, qui monitus 18. Nou. ad Academiam VVittebergensem rescripsit perplexus, magis tamen Luthero fauens, quem ei fauorem instillauerat Brasimus Louanio à Friderico euocatus, & consultus de Luthero, qui ita patrocinatus est Luthero, ut deinceps Elector Apostolicos Nuntios aduersus Lutherum

a Montanus.

therum